

Si itaque venenum corpus penetret, tunc ipsi immutabilem colorem præbet, & tūc corpus animam numquam à se diuelli patitur. Si enim fugiens tergum obuertit, & fuganti illum fit obuius, tunc fuga ipsius euanuit. Et exinde sequitur veritas, quod natura sui simile apprehenderit, tamquam amicum, & inter se inuicem coalescunt: & ex mixto Saturno nobilissimus color existit, qui non commutatur, nec ignem fugit, non secus ac anima in corporis interiores partes transit, corpusq; retinet, & tingit. Quum etiam illa ipsa aqua frigidæ naturæ siet, à superfluo igne tum cauendum erit: ille hostis est frigoris, si prima ipsius humiditas facta fuerit, quemadmodum ait Fictus Philosophus.

Et mas vocatur spiritus, & Agens, quod haberinequit, nisi ex fluente corpore. Idque ita intelligatur de humiditate, quomodo sequitur: nimirum quæ fit, quam diu duo conjugati legitimo modo copulantur, vsque ad album. Scire cupis ultra quando corpus fluat in ipsa cōtione? Audite, quid Bonellus dicat: Si videtis nigredinem in aqua natantem, tunc corpus admodum fluxibile factum est.

Ante dicta ista duo, corpus, nimirum, & spiritus, habent etiam tertium, hæc ipsorum res est, & corpus nominatur: Vocatur quoque rotunda aliqua nubes, mors itidem, nigredo, ut pote tenebræ & vmbra, plumbum cinereum, vel æs, aereum & subtile, ab eo quod ab illo nascitur, & perficitur, & nuncupatur aurum, quod in corpore Magnesiæ occultatum fuerat. De eo dicitur: Ex. trahito de splendore vmbram illius. Et idem illud est, quo de multi loquuti sunt: Tria sunt quæ verum æs con-
jungunt,